



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 12. Alphonsi Regis Neapolitani fuga, ejus filii coronati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

§. XII.

*Alphonfi Regis Neapolitani fuga,  
ejus filii coronatio.*

*Guicci. hist.  
Ital. lib. I.*

*Albinus de  
bello Gallico  
lib. 6.*

*Raynald. hoc  
ann. num. 5.*

Interea Rex Neapolitanus filium suum Ferdinandum Roma excessisse percepit, unde cum subditos suos magis ad defectionem, quam ad opem ferendam pronos intelligeret, tanto terrore correptus est, ut is, quamvis rei militaris experientiam, animique sui fortitudinem crebris victoriæ argumentis præsertim in Hydruntina Provincia Turcis erepta antehac testatam fecisset, nihilominus jam totus in eo esset, ut dimisso Sceptro Regnum Ferdinando filio suo cederet, hunc defendendo statui magis idoneum arbitratus: ergo convocatis primæ Nobilitatis viris, suisque amicis, quæ animo volutaret, exponit. Abnuere omnes, ille solus consilii sui adeo tenax extitit, ut & ceteri consentire compellerentur: quare viro nominatissimo Joviano Pontano datur negotium, ut publicas translati regni tabulas dictaret, quibus Alphonfus tam hilari vultu subscripsit, perinde ac si partæ coronæ possessionem adiret. His peractis mox Ferdinandus postera die vigesima tertia Januarii in Ecclesia Cathedrali solemniter Rex inauguratus est, eodemque die per nobiles urbis plateas,

teas equo vehebatur, ac caput regio Sæcul. XV. A. C. 1495.  
 diademate redimitus, medius inter Fri-  
 dericum de Arragonia ejus Patruum, &  
 Cardinalem Fregosium incedebat, Nea-  
 politanis Proceribus, qui in ejus obse-  
 quo perstiterant, illum comitantibus.  
 Post hæc omnes regni Ordines novo Re-  
 gi fidei Sacramentum exsolvunt, atque  
 in eum supremas regni curas transferunt,  
 consensu adeo unanimi, ut Pater ejus  
 haud amplius vita superstes esse videretur.

## §. XIII.

*Alphonsus Messinam se recipiens  
 moritur.*

Vix absoluta inaugurationis pompa, Comm. l. 7. c. II p. 54.  
 Alphonsus insalutato hospite Neapo- Paul. Jov. lib. 4.  
 li excessit; Gallorum enim metu adactus Guicci. lib. 1.  
 fugæ consilium tam religioso pressit silen-  
 tio, ut soli Joannæ Reginae Novercæ  
 suæ, quæ Regis Catholici soror erat, rem  
 communicasset. Tantum ipse in suo di-  
 scessu pavorem præsefererat, ut ad om-  
 nem strepitum Gallos adesse, eosque si-  
 bi imminere noctu evigilans exclamaret,  
 necnon decidentia arborum folia, imo &  
 lapidum moles, ac obvia quæque terro-  
 rem ejus novis incrementis augerent:  
 Raptim ergo quatuor triremibus exigua  
 supellectili regia oneratis, Marsaram in  
 Sicilia navigat, quod oppidum Castellæ  
 &